DE VITA ET STUDIIS P. DANIELIS CONCINAE O.P...

Vincenzo Maria Fassini,
Lorenzo Capponi



P. F. DANIEL CONCINA O.P.
THEOLOGUS ET CONCIONATOR EXIMIUS

DE VITA
ET STUDIIS
P. DANIELIS
CONCINÆ
O. P.
COMMENTARIUS.

Curâ, & Studio

V* * * * * * * * * F* * * * * *
R* * * * * * * * * * * * * *





VENETIIS MDCCLXII.

Ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.

Superiorum permissu.





DE VITA, ET STUDIIS, P. DANIELIS CONCINÆ O. P. COMMENTARIUS.

P. Danielis Concinæ, Viri omnium sæculorum memoriâ dignissimi vitam rudi licèt, incultoque calamo litteris mandare aggredior, honesto de Ordine Præd., cujus ingens fuit lumen, & ornamentum, aliquantillum saltem pro virili benemerendi studio incensus. Natus est is honestis Parentibus *Petro Concina*, & *Pasqua Cecconi* in Diœcesi Concordiensi decimâ Octobris die S. Ludovico Bertrando Ord. Præd. sacrâ A. Æ. CH. MDCLXXXVIII., Patriamque habuit *Clauzetum* (vulgò *Clauzet*) Provinciæ Forojuliensis Pagum, in quo jus dicunt *Savorniani* Patritii Veneti, sexto lapide, ut accepi, a *S. Daniele* ejusdem Provinciæ illustri Oppido, unde præter alios ex literis claros, prodiit Justus *Fontaninus* Archiepiscopus An-

cyranus. Sex filii ex laudato conjugio orti sunt. Horum natu maximus non multos annos inter Mortales egit: *Daniel* autem, cujus gesta exordimur, secundo loco genitus est: huic succedit Nicolaus, *Leonardus* antea dictus, qui Ordinem prædicatorum ingressus, vir doctus evasit, & Metaphysicen Senatus Veneti Edicto in Patavino Gymnasio sexennio docuit; ubi & *Petrus* ejusdem Frater Theologi Doctoris nomen, & insignia sumpsit: sequitur *Jacobus*, qui domui regendæ admotus, eidem & honoribus, & opibus illustrandæ sedulam operam ponit; *Balthassar* denique natu minimus, Fratribus, quos *Conventuales* dicunt, adscriptus, vel viridi ætate in fata concessit. His prælibatis, ut Danielis institutionem repetamus, hic præstans a natura ingenium (quod & cæteris ejusdem germanis Fratribus concessum est), optimamque ad omnia comparatam sortitus indolem, utrumque excoluit *Goritiæ* sub regimine P. P. S. J.; quumque ætatis suæ annum attigisset vigesimum, religiosum vitæ propositum arripere, Mundoque, a quo non modicos sibi poterat polliceri progressus, illudere constituit. Anno igitur 1707. Dominicanum amplexus est Institutum in Monasterio SS. *Martini*, & *Rosæ Conelliani* Venetæ B. *Jacobi Salomonii* Ordinis Prædicatorum Congregationis, quæ plures omni virtutum genere exultos alumnos extulisse lætatur. Evoluto tyrocinii tempore, instituente P. *Angelo Rosa* Lucensi singularis probitatis homine, ibidem solemnibus votis se Deo obstrinxit A. insequenti Decimo septimo Kal. Apri-

lis

lis, retento *Danielis* nomine, quo lustrico in fonte fuerat appellatus. Philosophiæ exin incubuit, P. *Sebastiano Baitâ* præceptore usus; Theologiam verò hausit Venetiis in Collegio SS. Rosarii præeuntibus P. Dominico *Andreussio* optimarum artium cultore, & *Joanne Alberto Zanchio*, rudêque donatus mense Junii 1716., & Philosophiam, ác Theologiam docendi munere sibi concredito, utramque facultatem primò in Civitate *Forojulii*, Theologiam verò denuò Venetiis solerter omnino, utiliterque professus est. Verùm divinæ Providentiæ consilio, scholasticis exercitationibus dimissis, Ecclesiastem agere incepit, iis instructus dotibus, quas in aliis optare quidem fortasse poteris, æque reperire vix poteris. Eminens Theologiæ scientia, ardens animarum studium, eximia pietas, vox perquam sonora gestus moderatus, & gravis, Rhetorices ars quasi familiaris, ac veluti a naturâ insita ipsi Concionatoris fœcundissimi, nostroque ævo celeberrimi nomen brevi promeruere; omnibusque proinde omnia factus, augustiores Italiæ suggestus conscendit. *Roma* septies evangelice dicentem, & Christum, huncque Crucifixum, validè, ac firmissimè prædicantem excepit. In Bononiensi quoque Urbe, frequentissimo semper populo conveniente, cœlestia æternarum Veritatum verba effudit. A. 1727., auscultante sæpius etiam tunc ibi Apostolicæ Sedis Legato magni nominis S. R. E. Cardinali *Thomâ Ruffo*, qui par humanitatis officium Concinæ præstitit, quum Ferrariensis Antistes existeret. Ubicumque verò diceret, ita ad audiendum alli-

liciebat, ut amplissima *Neapolis*, *Florentiæ*, *Venetiarum*, *Mediolani*, *Veronæ*, *Patavii*, *Cremæ*, *Pisauri*, aliarumque Urbium & auctoritate, & hominum multitudine præstantium, nedum complerentur, verùm & auditoribus excipiendis vix templa sufficerent; & ne diuturnâ, ac inutili prorsus fatigatione confluentis Populi turbâ detineretur, habendæ concionis horam quandoque coactus est prævenire. Castâ, & intemeratâ dicendi ratione utebatur, nec fucosis, adulteratisque mollioris eloquentiæ figuris, & modulis, sed solidis sententiis, efficacibus verbis, rationumque momentis, Christianorum animos percellebat, & commovebat, voluntates magis impellere, quam aures demulcere peroptans. Vitia vehementer insectabatur, nec ab increpationibus cessavit unquam, nisi aliter emendationis ratio suasisset. Hinc & veri, summique Oratoris laude fruebatur, & uberes in horreum Domini fructus inferrebat; se tamen ubique, ceu *inutilem servum*, juxta Christi monitum, prædicare non erubuit. Ergo apostolico munere ad clariores Italiæ Urbes delatus, selectasque Bibliothecas perlustrans, quamplures demiratus est Codices, aut parum, vel nihil rectæ vitæ instituendæ accommodatos; quum iis temporibus viveret, quibus sinceræ morum regulæ, ac pleraque christianæ disciplinæ capita tristem, deformatamque faciem præseferre videbantur. Ad hunc sanæ doctrinæ tradendæ modum sibi jam pridem non arridentem, corrigendum, emendandumque, tempus a sacrarum concionum

labo-

laboribus vacuum (nec illud sane modicum) insumere decrevit. Multa proinde publici juris fecit (impellente, &, ut ajunt, calcaria addente illustri Præposito Placentino D. *Alexandro Mantegatio*) quibus monasticam disciplinam ad primævam formam instauravit, incredulorum insaniam profligavit, ecclesiasticarum legum vim sustinuit, Romanorum Pontificum decreta explanavit, prudentissimas præstituit ex SS. PP. leges, ac regulas, quibus in contractibus, aliisque negotiationibus ab usura caveretur; nec non adversus pravas de fœnore opiniones firmavit Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, quam Pastor Delphensis, & schismaticæ ultrajectinæ Ecclesiæ Pseudo-Canonicus *Nicolaus Broedersen* elevare tentaverat, ac impia *Calvini*, *Salmasii*, *Molinæi* placita renovare. Utque apertiorem adhuc, clarioremque zeli sui Concina exhiberet imaginem, ingenii vires colligens, *Theologiam Christianam* XII. in tomos tributam conscripsit, eamque tanquam Ecclesiæ Hierarchæ *Benedicto XIV.* sanioris doctrinæ assertori, ac vindici præclarissimo consecravit; Doctoris Angelici, cui addictissimus erat, exemplo ductus, qui cœlestis sapientiæ suæ radios aureâ deinde *Theologicâ Summâ* conclusit. Pontificis jussu Christianam hanc Theologiam ad severam exegêre amussim perspicacissimi viri, & vel ipsis apicibus lente, fastidioseque cribratis, ne unam quidem, aut æquo rigidiorem, aut plus æquo laxiorem offenderunt sententiam. Hanc ergo ceu purum, putidumque rigorismum ineptissime qui-

quidam traducunt. In ea purioris Ethices dogmata admirari licet, ut & in cæteris ab eo editis elucubrationibus, Laxitatibus bellum indicitur, erroneæ opiniones deteguntur, via denique ad pie, beateque vivendum tutò designatur. Quoad methodum spectat, hæc familiaris est, eamque toto vastissimo in Opere pari simul cum eruditione, non dissimili gravitate custodit, sive aliorum opiniones oppugnet, sive proprias stabiliat; ut scite notat *Jo. Antonius Ponce* Ordinis Minimorum doctus Theologus. Ex sacris divinorum eloquiorum fontibus primò argumenta depromit, inde SS. Patrum, quos verbi Dei scripti interpretes colit Ecclesia, sententiis accommodatissimis firmat, roborat, & elucidat; postremo rationibus, iisque & lectissimis, & validissimis utitur, quibus quum summam addiderit eruditionem, zelum apprime demirandum, & cælestem quandam unctionem, quæ vel ipsa duriora corda emollit, opus effecit auro, cedroque dignum, ut jure dici possit tot admiratores habere, quot lectores; si eos excipias, qui proni in animorum affectiones, Probabilismum sectantur. Summo plausu ubique excepta Conciniana Theologia, studiose conquisita, celebriorum hominum præconiis commendata, atque ad extremas Europæ oras delata, pluries recudenda fuit, ut communibus votis fieret satis. Id quod *Henrici Henriquez* Neapolitani Cardinalis amplissimi studiosa cura, & diligentia comprobavit, qui pro sua pietate, & amore, quo in Concinam ferebatur, quum apud Hispaniar. Regem *Aposto-*

postolici Nuntii munus obiret, ultra mille exemplaria longe, lateque diffudit; offensis dumtaxat, licèt immeritò, quibusdam viris, ceteroquin doctissimis, qui Concinam ad R. P. detulerunt, ceu qui in eo Theologico cursu elaborando, piis, probisque Theologis detraxisset, inhibendum propterea contendentes; ast prorsus incassum. Verùm crebrarum expostulationum Pontifex pertæsus, Concinæ suasit, ut *protestationem*, quam ipse dictavit, publici juris faceret; sicque adversariorum parum æquas eluderet querimonias. Quæ quamquam leviores in suspicionem fortasse possit adducere, cordatos tamen homines, quorum judicium exposcendum est, nihil movere, ipsa adversariorum ingenua confessio demonstrat, (1) ut ea interim omittam, quæ de hoc argumento nervose, & valide, etiam nuperis hisce diebus eruditi Auctores evulgarunt. Pro veritate tuendâ cum in hoc Opere, tum in aliis firmissime assertâ, semper stetit infractus, pectorisque sui constantiam, & fortitudinem nec leviter dimovere potuerunt calumniæ, contumeliæ, scommata, quibus sine fœnore, ejus famæ nomen perstringere conati sunt. At ipse ubi recentiorum Casuistarum opiniones refutare aliquando opportunum censuit, id eo fine, & consilio præstitisse cognoscitur, ut vitiis hominum, eorumque erratis, non hominibus ipsis bellum indiceret; hocque ex laudata Protestatione colligere quis facile potest: ea verò, quæ

 Ad-

(1) *Ex epist. ad P. V. P. Nonis Febr. 1762. ms.*

Adverſariis duriuſcula viſa ſunt, fervido ipſius ingenio, non animo in quemquam malevolentiâ ſuffuſo non incongrue aſſignaveris: extremo enim in agone interrogatus, num in tot conſcriptis Operibus quidquam forte altercandi actus prurigine protuliſſet, Crucifixi comprehensâ imagine, ad ſolius Catholicæ Eccleſiæ utilitatem, Animarumque Chriſti ſanguine redemptarum ſalutem teſtatus eſt edidiſſe. Ejuſmodi itaque Orthodoxorum commodo datis munimentis, ulteriora, eaque ampliora exhibere nunquam deſtitit, ac novum monſtrum aggreſſus, confodiendum aſſumpſit, Theatra ſcilicet impudica, ſcelerum omnium, vitiorumque gymnaſia. Hanc graviſſimam perniciem e chriſtiana hominum ſocietate eliminare geſtiens, hortante nunquam ſatis laudato Benedicto XIV., Opus conſcripſit de *Spectaculis Theatralibus*, eaque Chriſtiano cuique tum laico, tum clerico vetita eſſe ſolide monſtravit. Prodiit ſub auſpiciis invictiſſimi Archiepiſcopi *Andree Majoral*, qui Valentinum ſcenarum Theatrum ſatis amplum ſolo æquari obtinuerat; ejuſque exemplum non pauci Epiſcopi fuerant imitati. Huic propterea Lucubrationem ſuam Concina inſcriptam voluit, ut quem Hiſpaniæ Præſules Anteſignanum habuerant, eo ipſe Mecœnate gloriaretur. Lætanter excepit Concinæ labores redivivus ille Chryſoſtomus, tantumque fructus allaturos cognovit, ut datâ ad Concinam Epiſtolâ quintodecimo Kalendas Januarii Anni 1752. etiam cætera Hiſp. Theatralia ſpectacula expungenda

da esse ominatus sit: „ sic etiam (ait) efficacià tuorum hortatuum in cæteris Hispaniæ dioecesibus idem continget..... præsertim cum jam antea in Diœcesibus Hispalensi, Cordubensi, Calaguritana, Conchensi, Palentina, & Illerdensi (cujus rei notitiam libenti animo Tibi futuram esse conjicio) Theatralia spectacula omnino expuncta sint, & repulsa „. Quum verò tot plausibus ejus Opera exciperentur, non ita sibi de iis blandiebatur Concina, ut aliena respueret, sed Christianæ Reipublicæ utilitatem unice contuens, illorum Opera recudenda curavit, quorum lectione uberes fructus doctrinæ morum cultores percepturos agnovit; adeoque a Typographis Venetis, ut imprimerentur obtinuit, egregia Volumina *Joannis Pontasii* Parisiensis Juris Canonici Doctoris, *Jacobi Besombes* Doctrinæ Christianæ sæcularis presbyteri, & *Paulli Gabrielis Antoine* S. J.. His ingenii, & zeli sui argumentis toties exhibitis, immortalem sibi famam, non mendacem comparavit, acceptus proinde Regibus Principibus, Ordinis Moderatoribus; magnique semper est habitus ab eximiis pene totius Europæ Viris; quorum alii *Virum incomparabilem* appellarunt, *gentiumque Apostolum*; (1) alii *Christianæ Moralis Redemptorem*; alii denique effusis laudibus exornarunt: Purpurati insuper Senatus Patres in sui admirationem, ac benevolentiam pertraxit; quorum plures ejus operâ, & studio in arduis negotiis

usi

(1) *August. Spin. in epist. septimo id. Septemb. 1753. mss.*

usi sunt; plures, quum postremis annis Romæ versaretur, sibi familiarem esse voluere, suâque dignati sunt consuetudine. Sed instar omnium memorare sufficiat *Benedictum XIV.* Pontificem sapientissimum, & priscis Ecclesiæ Patribus comparandum. Is viri sapientiâ, & eruditione permotus, Congregationi Cardinalium Theologum, & Consultorem adjunxit, in perarduis disciplinæ quæstionibus quid Concina sentiret avide sciscitabatur, peramenter audiebat, libentissime probabat. At Pontificis æquitas, & amor tum maxime enituit, quum non solùm privatis Epistolis, quibus asserebat *se quæ ejus doctrinâ, ac libris delibaverat executioni mandare*, (3) eum commendavit, sed etiam quum *famoso libello* nomen viri honorificentissimi in summo discrimine constitutum agnosceret, summâ justitiâ, & supremâ suâ auctoritate vindicavit, eumque publico *diplomate* hortatus est, ut calumnias parvi faceret, susceptaque studia Ecclesiæ catholicæ adeo proficua strenue prosequeretur. Egregium sane opus immortalitate dignum! Nec solùm Ecclesiæ, sæculique Proceres sibi devinctos habuit, verùm & præcipuos Italiæ nostræ viros doctrinâ, & eruditione præstantes coluit; videlicet Angelum M. *Quirinium*, Dominicum *Passioneum*, & Josephum Augustinum *Ursium* doctrinâ, & dignitate Eminentissimos; Joannem *Lamium*, Petrum Franciscum *Fogginium*, & Joannem *Botarium* Florentinos, Ludovicum Antonium *Muratorium*, Scipionem *Maffe-*

(3) *in Epist. ad Conc. mss.*

fe-

fejum, Augustinum *Spinula* Savonensium Antistitem, *FF.Ballerinios*, Ægidium *Giuli* S. J., Joannem *Cadonici*, P. Constantinum *Rotigni*, P.*Luciardi* in regio Athenæo Taurinensi Theol. moralis Professorem, Philippum a *Carboneano*, cæterisque memoriæ nostræ non occurrentibus prætermissis, immortalis memoriæ hominem *Apostolum Zenum* Historicum, Poetamque Cęsareum, qui Venetos Sanctissimi Rosarii PP. eorum moribus, ac vivendi ratione illectus, & sui cinerum, & Bibliothecæ, editorum, manuscriptorumque Codicum numero selectissimæ, hæredes scripsit. Quum verò universum pœne Orbem Doctrinæ suæ admiratorem videret, ac vindicem, minime elatus est Concina, sed inclitâ religiosi animi virtute, suspiciundâque moderatione, ipsâ suâ famâ visus est major. Honores semper abhorruit, religiosæque humilitatis tenax, supremam Congregationis præfecturam a Supremo Ordinis Moderatore *Thomâ Ripollio* oblatam modeste recusavit. Rudibus catholicæ fidei arcanis imbuendis se per plures annos ita studiose, amanterque addixit, ut hocce officium aliis muneribus, honoribusque constanter prætulerit. Regularis disciplinæ fuit assiduus, & eximius cultor; multique rigidioris vitæ studio, vel ipsius hortatu, vel suorum Voluminum lectione ad religiosorum hominum Conventus convolarunt; alii, ut securioris vitæ institutum amplecterentur, vel ex ipsa Lusitania ad Italorum austeriora cœnobia se contulerunt. Ordinis legum apices usque ipse fideliter custodivit; & quum ætatis, & studio-

rum

rum causâ sibi aliquatenus posset indulgere, id sibi dari nunquam permisit, quod in aliis remitti ipse non sineret; Quare perpetuam carnium abstinentiam, licèt imbecilli valetudine semper affectus, nunquam intermisit, consueta jejunia a Sanctissimæ Crucis Exaltationis festo ad Pascha usque, etiam itineribus fessus, servavit; imo postremos ferme viginti dierum suorum annos perpetuo jejunio definivit. Durior itaque parcissimæ mensæ disciplina, jugesque demum lucubrationum vigiliæ adeo tenerum corpus afflixerant, ut musculorum dorsi, ac manuum paralysi correptus, serò nimis *Lucam* commigraverit thermalium aquarum beneficium experturus. Florentiâ iis adhibitis, Venetias redux, A. 1755. exeunte, vitioso correptus est rheumatis ad pectus affluxu: at peritissimi Archiatri studio visus est convalescere. Verùm novo accessu invadente paucis interjectis mensibus, decumbere in lectulo coactus, jussusque est; vixque discrimen vitæ imminere persensit, quum statim Ecclesiæ Sacramenta enixè efflagitavit. His devotissime susceptis, Sacroque Oleo delibutus, Ecclesiæ preces pro in agone constitutis sibi recitari petiit, & clara omnino voce, promptoque animo respondit. Post hæc Sodales suos circa ipsum deflentes monuit, ut consuetum ad Deiparam Antiphonæ *Salve Regina* Cantum inciperent; & ad ea verba *O Pia, o Dulcis Virgo Maria*, erectis in cœlum luminibus, placidissime in osculo Domini obdormivit horâ XVI. X. Kalend. Martias MDCCLVI., ætatis A. LXIX. dignus profectò ut æternum viveret, qui dum

vixit

vixit haud peritura exhibuit monumenta virtutum. Staturâ corporis æquâ, & decenti fuit, acie hilari, ac tranquilla, ut serenâ quadam comitate occurrentium animos alliceret; facie pene rotundâ, colore purpureo, oculis vividis, fronte satis latâ, crine subrubido. Emicuit in eo perspicacitas ingenii summa, judicium acre, ac solidum, pertinax fere quotidianum 12. hor. studium, tribus maxime postremis lustris, tenacissima memoria, ampla Patrum, illustriorumque Theologorum eruditio, mira cum latine tum vernacule dicendi, scribendique facilitas, quam cum incorrupta doctrina, & mirâ perspicuitate sociavit. Præclarâ excelluit humilitate, sincerâ Religione, pietate eximiâ, summâ morum suavitate; Vir denique fuit Dominicani Instituti ornamentum, morum doctrinæ acerrimus assertor, Ecclesiæ fidelis minister, sincerissimo, veroque animarum zelo succensus, & de Ecclesia, deque Republica Litteraria optime meritus. Tanti viri merita celebrarunt digniores, probatioresque Patres in Comitiis generalibus Romæ 1756. „ P. F. Daniel Concina in S. Danielis Provinciæ Forojuliensis Oppido natus, (4) atque in Venetam nostram Congregationem vigesimo ætatis anno cooptatus, colendæ, propagandæque virtutis studio floruit singulari. Nam quum continenter præsentem animo gereret cogitationem rerum æternarum, non solùm vitæ suæ graviter, sanctèque moderabatur, sed homines etiam reliquos, & scribendis libris,

„ quos

(*) *Act. Cap. General. pag. 166.*

„ quos complures edidit, & assiduis concioni-
„ bus incendere conabatur. Quo in munere
„ tantâ cum laude est versatus, ut ab illu-
„ strioribus Italiæ Civitatibus certatim evo-
„ caretur, & amplissima sæpe templa non ca-
„ perent multitudinem auditorum. Ab hono-
„ ribus maxime alieno fuit animo; discipli-
„ næ autem Ordinis, in primisque parcitatis
„ in omni genere studiosissimus, laborum ve-
„ ro sic patiens, ut supra nihil fieri posset.
„ Tali modo cum novem, & sexaginta vi-
„ xisset annos, perpetuoque fecisset quæ do-
„ cuerat; anno denique MDCCLVI. X. Ka-
„ lendas Martias, eximiis editis exemplis vir-
„ tutum, æquo, placidoque animo decessit. „

Præstantissimi viri, omnique laude majoris Danielis Concinæ vitæ, ac studiorum schediasma adumbrasse sit satis; nam vivis coloribus ejus imaginem doctiori, elegantiorique stylo exprimendam relinquo, uberiorem enim, accuratioremque gestorum, scriptorumque chronotaxim ab iis licet expectare, quorum interest ornamenta familiæ, posterorum memoriæ demandare.



ILLUSTRIUM VIRORUM DE DANIELE CONCINA JUDICIA, AC TESTIMONIA.

BENEDICTUS XIV.

In Encyclica *Libentissime*.

Tom I. Bullar. pag. 523.

Non defuerunt præstantes *inter Italos Theologi, qui literas nostras apostolicas datas* 1741. egregiis *commentariis illustrarunt. Idem contigit responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ die* 8. *Junii* 1744. *quod sane integrum suis libris præfigendum curarunt.*

Hic librum indigitat Pontifex, cui Concina titulum fecit. *La Disciplina antica, e moderna &c.* In quo ipsius constitutiones *Nos ambigimus, & in suprema*, referuntur, & doctis observationibus illustrantur. Responsum verò ad Archiepiscopum Compostellanum absoluto complexus est commentario.

IDEM

In Aureo Opere *de Synodo Diœcesana*,

lib. X. cap. 3. *n.* 2. *pag.* 349.

Ea admixtio, seu carnium unà cum piscibus comestio... ob adjunctum scandalum, a quo vir sejungi poterat, jure ac merito etiam sub pœna excommunicationis fuit in præfatis Synodis interdicta: quemadmodum bene ponderat Daniel

niel **Concina Ord. Præd.** Theologus *in suo Commentario Theologico in præfat. ad postulata Archiepiscopi Compostellani* §. 1. n. 50.

P. JOANNES ANTONIUS PONCE
Ord. Minimorum Hisp.

In Apologia duarum priorum Epistolarum P. Dinelli *Editionis Matritensis: extat etiam in 3. Epistola Venetæ Editionis*.

Quid aliud amabò Danielis Concinæ studium? Quæ alia tanti Viri contentio? Quis in tot, tamque præclaris editis a se libris scopus alius? Nisi ut jura omnia, legesque omnes, quibus humana ratio regenda, mores hominum moderandi, quibus Christiana Respublica continenda, universaque Dei Ecclesia ornanda, & illustranda est, nativæ puritati restitueret, ac propriæ rectitudini, qua per se potiuntur, modis omnibus redderet?..... norat integerrimus *hic Vir* Zelo *religionis succensus, corrigendorumque morum* desiderio flagrans ....., *noverat hæc, inquam*, gravissimus Theologus, *quem* Danielem Concinam *intelligi volo... quid hæc, atque alia infelicis conditionis hominum damna, animarumque incommoda secum sedulò meditatione versans* piissimus Theologus? *Quid inquam salutis hominum cupidissimus faceret? Taceret ne? dissimularet ne? Forsan aliquantisper tacuit, ut conceptum sermonem opportunius depromeret, ut altius sine cessatione clamaret, & quasi tuba exaltaret vocem suam* vocem, *uti-*

que

que salutarem ; vocem revera Evangelicam, Deique Ministro dignam. *Clamavit tandem pravos hominum mores objurgando, vitia quæque ardenter sugillando, deviantes ei verò opiniones nervosè refutando, indulgentes justo nimis libertati studiosè coercendo, divinis, humanisque legibus, modo quoque vim importantes, aut earum nitorem deturpantes, solidè refellendo: hæc, aliaque id generis, ut præstaret, tot conscriptis libris clamavit: neutiquam vero, ut Christianos scriptores injuriis appeteret, salibus mordêret, conviciis lacesseret; non ut Catholicos Magistros erroris notâ inureret ; aut doctos viros censurâ ullâ gravaret: vitiis quippe hominum, eorumque item erratis, non hominibus ipsis bellum indixit,*

EUSEBIUS A QUINTANA HISPANUS.

CLERICORUM MINORUM HISPAN.

Doctor Complutensis, & Regius Orator. In censura Epistolarum P. Dinellii *Edit. Matritensis.*

Supremo jubente Senatu, legi epistolas &c., & certe affirmo, secundam post primæ iteratam impressionem, non modò posse denuo cudi &c., sed etiam, ut mea fert opinio, iterum, iterumque vulgandam, ut sartus, tectusque sit pientissimi, doctissimique Theologi (*Danielis Concinæ*) *honor, &, quod caput est, ut* Opus auro, cedroque *dignum, qualis habetur laudata* Theologia Christiana, *fugatis alienis nebulis,*

lis, splendidiore luce perfruatur. Istud est clamante conscientiâ judicium meum. Sic sentio coram Deo, & sic pro veritate profiteor coram hominibus.

THOMAS ANTONIUS DE EMALDIS

Benedicto XIV. quondam ab epistolis latinis.

In censura operis In Epist. Benedicti XIV. &c.

Decretalem Epistolam &c. commentatus est eruditissimus Vir Daniel Concina *ex Dominicana Familia, non tam sacrarum concionum laude, quam multiplici librorum editione in Litteraria Republica clarus.*

P. JO. LAURENTIUS BERTI FLORENT.

ORD. EREMIT. S. AUGUSTINI

Bibliothecæ Angelicæ Præfectus, nunc Historiæ Ecclesiasticæ Professor in Lycæo Pisano & S. C. M. Theologus.

In censura Operis Usura contractus Trini.

Ut fere omnia, quæ spectant ad contractus, maxime usurarios, juxta inconcussam, doctissimamque doctrinam expediret Vir integerrimus, Orator eloquentissimus, & de Morali Theologia optime meritus P. Daniel Concina *Ord. Præd., præter alia complura ingenii sui monimenta, summo studio conscripsit &c.*

P. AN-

P. ANDREAS GALLANDIUS VENET.

ORATORII CONGREG. ALUMNUS,

Sub ementito nomine *Andreæ Grandorgæi*. In Annot. ad Catalog. Operum Lud. Ant. *Muratorii*, præfixum ejusd. libro, *De Moderatione ingeniorum &c. Pag. xliii. N. xxxv.* Typis Venetis Joannis Baptistæ Pasquali.

Vix annus intercesserat ab editione Operis de superstitione vitandâ; *quum in Muratorium, perinde ac si emittens illud in lucem, classicum cecinisset ad acre bellum perurgendum, complures in ipsum insurrexerunt Scriptores, in primis verò Panormitani, quorum proinde opuscula refutare aggressus est noster Auctor, has Epistolas sub nomine* Ferdinandi Valdesii *evulgans; in quibus quidem edendis usus fuisse fertur operâ, & consilio R. P.* Danielis Concinæ, Viri doctissimi, & supra laudes, *cujus etiam obstetricante manu in lucem emissum fuerit alterum ipsius Opus, modo memoratum* de superstitione vitandâ.

IN EXCERPTO

Totius Italicæ, nec non Helveticæ Literaturæ, pro Anno 1758. Tom. 2. pag. 205. in *Elogio* BENEDICTI XIV.

Quum Compostellæ Episcopus, in Decretis Pontificis de jejunio A. 1741. *promulgatis, hæreret, suavi eruditionis apparatu scrupulos exemit: hæc*

ipsa responsa Daniel Concina, *cujus judicio, in rebus ad doctrinam moralem spectantibus, Pontifex multum tribuebat, Commentario edito, persecutus est.*

ANGELUS FRANZOJA

COLLEGII PATAVINI DOCTOR THEOLOGUS.

In Theologia morum P. Herm. Busembaum ad trutinam revocatâ &c. Bononiæ (Venetiis) 1760. Procurante Simone Occhio. Pag. xii. Præfat.

Verùm hìc silentio prætereundus non est P. Daniel Concina *Ord. Præd. obs. vir integerrimus, & Theologus sanæ doctrinæ, & vastæ eruditionis laude eximius, cujus ego laboribus valde usus sum, cuique hoc meum qualecumque Opus plurimùm se debere profitetur. Hic solidæ Theologiæ acerrimus Assertor, ac imperterritus probabilium Opinatorum malleus, multas, gravesque a suis Adversariis vexationes, contumelias, calumnias passus est; sed ejus gloriosum nomen ab Eusebio* Eraniste *Theol. doctissimo, egregie defensum, & jure illustratum, adeo bis obscuratum non est, ut apud æquos rerum æstimatores clarius emicet. Sed ille non tam laude, quæ ejus dignitati æqualis reperiri vix potest, quam silentio, & admiratione prosequendus est.*

Et Pag. XVII. Animadversionum in Prodromum &c. *Hi ergo ab omnibus attente legendi sunt, ac præsertim a Tyronibus, qui ingenio ad di-*

dignoscendas fallaces à solidis doctrinas non valent .... Concina, *qui XII. Tomis Christianam Theologiam fuse, erudite, ac solide tractavit, innumerosque morales casus complexus, saniorem doctrinam contra dominantem laxitatem, & subtiles cavillationes, acerrime tutatus est.*

JOANNES LAMIUS FLORENTINUS.

Tom. XI. Novelle Letterarie Pag. 832.

Bisogna far giustizia alla verità: il celebre P. Concina *è uomo di molto merito, di molto zelo, di molta buona dottrina: e se sembra alle volte eccedere nella mordacità, e derisione, non è però stato neppur esso in varie occasioni risparmiato, e testimonio siane la indegna* Ritrattazione *fatta a suo nome &c.*

Tom. XVII. p. 216.

E' passato il dì 21. del caduto Febrajo 1756. agli eterni riposi il famoso, e chiarissimo P. Daniello Concina *Veneziano de Pred. &c.*

Ib. p. 250. Il P. Concina *è morto, ma dureranno i suoi Scritti, e i suoi Allievi.*

Ib. p. 293. Io annunziai la perdita lagrimevole, fatta dalla Religione, e dalla Repubblica delle Lettere per la morte del sì pio, dotto, e zelante P. Daniello Concina *dell' Ordine de' Predicatori, di Patria Veneziano; ed essendomi pervenuto alle mani il Catalogo delle sue Opere, lo riferii; adesso da più parti mi è stata mandata la Lettera Circolare, scritta in occasione della sua morte da suoi Religiosi; e dico da più parti, perchè è stata stampata a* Ve-

Venezia, e poi ristampata a Roma, e a Lucca: onde ancor io stimo mio dovere il quì ristamparla, benchè fatta tradurre dal latino nel nostro toscano, potendo ella servire per succinto elogio di sì gran Maestro in divinità.

Recensitis hactenus Auctoribus addendi sunt. Appianus *Bonafedius* Ab. Cœl. acris, eruditique ingenii scriptor, qui haud leve Concinæ instruit Elogium I. P. libri, cui Epigraphe: *Ritratti poetici, storici, e critici di varj Moderni Uomini di Lettere*, pag. 33. Venetæ editionis Francisci Pitteri A. 1760., ubi tamen mendum, quod, errante fortasse typo, irrepsit, corrigendum; Concinam scilicet A. 1677. diem vidisse. Præpositus Soli *Muratorius* in vitâ Ludovici Antonii *Muratorii*, italice scriptâ, & Venetiis editâ typis Joannis Baptistæ Pasquali pag. 195. & 216. Doctissimi Auctores *Ephemeridum Ecclesiasticarum* (*Nouvelles Ecclesiastiques*) quæ in Galliis evulgantur. *P. Fantini* qui Epistolam, qua peracerbum Concinæ funus nunciatum est, conscripsit, cuique plurimum me debere profiteor; Quotquot denique suo calculo Concinianas lucubrationes approbarunt, quos inter & doctrinâ, & pietate emicant P. Hieronymus *Bugatti*, illustris Congregationis Barnabitarum Theologus, Anselmus *Bortolotti* Benedictinus, in Archigymnasio Romano sacrorum Canonum Lector, Philippus *a Carboneano* Ordinis Minorum, *Silvester* Episcopus Porphyriensis, & Sacrarii Apostolici Præfectus, Castrensis *Scaja*, & Joseph *Cyrillus* Regiæ Neapolitanæ Accademiæ Professores; & alii satis multi,

quo-

quorum de Theologo nostro judicia mss. Venetiis asservantur, quæque satis multa esse, testis est Eusebius Eranistes tom. V. p. 477. *Lett. Teologico-morali &c.* Plures quidem, gravesque oppugnatores Concina offendit: at eorum scripta non obtinuerunt, ut illius quateretur animus, qui *nec benedictione, nec maledictione movebatur*; proinde ab iis etiam laudes extorsit, quos passus est adversarios. Hos enim Providentia ipsi paraverat, ac decreverat ad augendam nominis ejus, & virtutis famam. Nunquam tamen sibi, vel bonæ causæ defuit Concina, nunquam nisi victor ex arena discessit. Habes, Lector, hisce pagellis arcto, pressoque stylo exaratum Concinæ Elogium, semper tamen infra merita pangendum: habes & Theologorum, qui in laude æternùm vivent, de eo judicia, ac testimonia. Perpende nunc grandius Concinæ elogium, catalogum scilicet Operum huc usque editorum, quem ideo subiicio, ut qui sin minus cæteras Biographorum leges servavi, istius saltem, ut facilioris, executor existam.

CATALOGUS
OPERUM OMNIUM
P. DANIELIS CONCINÆ O. P.
Ad hanc usque diem typis editorum.

Commentarius Historico-Apologeticus in duas dissertationes tributus: quarum altera anticriticis animadversionibus refellit ea, quæ adversùs paupertatis disciplinam a D. Patriarcha Dominico constitutam, intemperantiore critice, scriptis prodiderunt Continuatores Bollandi, *in Commentariis nuper in acta ejudem Patriarchæ editis: altera eandem disciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pornasio interpretamentis vindicat. Accedunt de origine disciplinæ regularis, primùm in Ord. Præd. per B. Raymundum de Vineis XXIII. Magistrum Generalem ejusdem ordinis instauratæ, Dissertatio Historica, & Quæstiuncula moralis de Regularibus Personatis* in 4. Venetiis 1736. apud Stephanum Monti. Iterum 1745. Vulgatum legitur Opus sub nomine Caroli Antonii *Plantamuræ*.

Præfatio ad lectorem, & animadversiones critico-morales in menda Pontasiana *cum actuario duorum Casuum, qui in hoc Dictionario desiderabantur*. Vide *Dictionarium casuum conscientiæ* a Joanne *Pontas* Prsbytero Gallo concinnatum, editumque typis Venetis apud Antonium Bortoli 1738.

Post

Post editionem Parisiensem A. 1726., prodiit Luxemburgi opus latinitate donatum A. 1731. Hanc editionem excepit Augustana 1733. cum nova latina versione; In hac verò *Menda Pontasiana* prostant, sive *Observationes quædam circa Opus Gallicum* Pontasii, quibus Concina suis occurrit animadversionibus.

Disciplina Apostolico-Monastica dissertationibus theologicis illustrata, & in duas partes tributa, in quarum una de voto paupertatis vitæ communi circumscripto; in altera de cæteris ejusdem disciplinæ capitibus præcipuis disseritur. Accedunt selecta quædam veterum Theologorum monumenta ad Emum HANNIBALEM Card. ALBANUM &c. 4. Venetiis ex typographia Balleoniana 1739.

La Quaresima appellante dal foro contentioso d' alcuni recenti Casisti al tribunale del buon senso, e della buona fede del Popolo Cristiano, sopra quel suo precetto del digiuno da accoppiarsi coll' uso delle Carni permesse pel solo nocumento del cibo Quaresimale: in 4. Venezia 1739. appresso Simone Occhi.

Ejusdem Operis. *Edizione seconda corretta, ed accresciuta &c.* In 4. Venezia 1739. appresso Simone Occhi.

Item. *Terza edizione coll' aggiunta d' un intera dissertazione, in cui si confuta il libro intitolato*: Difesa della Dissertazione Teologico-morale critica de Signori Abate Pietro Copellotti, ed Arciprete Bartolomeo Casali &c. In 4. Venezia 1744. appresso Simone Occhi. Item 1756. apud eundem.

La Disciplina antica, e moderna della Romana Chiesa intorno al sacro quaresimale digiuno, espressa ne' due Brevi Non ambigimus, & in suprema, *del regnante sommo Pontefice* BENEDETTO XIV., *illustrata con osservazioni Storiche, Critiche, e Teologiche, dedicata all'* Emo *Principe* DOMENICO PASSIONEI *&c.* In 4. 1742. Venezia appresso Simone Occhi. Item 1756. apud eundem.

Della storia del Probabilismo, e del Rigorismo dissertazioni Teologiche, Morali, Critiche: nelle quali si spiegano, e dalle sottigliezze de' moderni Probabilisti si difendono i principj fondamentali della Teologia Cristiana. In 4. tom. 2. Venezia appresso Simone Occhi 1743. Opus Emo NEREO CORSINIO dicatum. Ad calcem secundi tomi adjecta est Dissertatio Apologetica adversus *Copellottum, & Casalium* supra memorata.

Epistolæ Theologico-Morales ad Illmum Episcopum N. N. adversus librum inscriptum. Dissertatio in Casus reservatos Venetæ Diœceseos apud Joannem Mariam Lazzaroni. In 4. Venetiis 1744. apud Simon. Occhi. Eodem Anno curata est *Editio secunda Veneta.*

In Rescriptum Benedicti XIV. Pont. Max. ad Postulata septem Archiepiscopi Compostellæ, jejunii legem spectantia, Commentarius Theologicus. 4. Venetiis 1745. apud Simonem Occhi.

Ejusdem Operis: *Editio* 2. Addita est: *Epistola ad Polycarmum &c.* Sine Auctoris nomine olim sejunctim excusa: Apud eund. 1755.

Defensio Decretorum Concilii Tridentini, &

Aposto-

Apostolicarum Constitutionum Ecclesiæ Romanæ adversùs libros inscriptos. Vita Claustralis, & Vindiciæ Regularium. 4. Bononiæ 1745. Prostant venales Venetiis. Prodiit sub auspiciis BENEDICTI XIV. Accedunt Censura *in Censuram disciplinæ Apostolico-Monasticæ*, & *Animadversiones in Epistolam exegeticam P. G. C.*

Osservazioni critiche, e morali in difesa della storia del Probabilismo, e del Rigorismo contro il libro intitolato. Giustificazione di più Personaggi, ed altri Soggetti ragguardevoli. In Lucca 1744. in 4. Pesaro 1745. appresso Nicola Gavelli, *proposte in questa Lettera all' Autore di questa medesima dissertazione*.

Esame Teologico del libro intitolato: Saggio de' supplementi Teologici, morali, critici, di cui abbisogna la storia del Probabilismo, e Rigorismo &c. *Stampato in Lucca l' Anno* 1744. *dal R. P. Nicolò Ghezzi*. Pesaro 1745. appresso Nicola Gavelli.

Esplicazione di quattro Paradossi, che sono in voga nel nostro secolo. Riflessioni sopra i due libri de RR. PP. Lecchi, e Bovio, intitolati Avvertenze, e Dissertazione &c. *Si premette un succinto ragguaglio de' libri stampati da alcuni Probabilisti in difesa del Probabilismo, ed altri punti morali. Addizione di alcune brevi osservazioni sopra l' Estratto, che i RR. PP. Trivolziani hanno fatto del libro del P. Milante intitolato:* Vindiciæ Regularium &c. *all' Emo QUIRINI &c.* In 4. Lucca 1746. per li Fratelli Marescandoli, ad instanza di Simone Occhi. Item 1750. Prodiit quoque gallice Avenio-

nione: *Chez Jean Girard Rue Mercerie* 1751.

Esposizione del dogma, che la Chiesa Romana propone a credersi intorno l' usura, colla confutazi ne del libro intitolato: Dell' Impiego del denaro, in 4. Napoli 1746. per Pietro Palumbo. Opus, CAROLO BORBONIO tunc Siciliæ, nunc Hispaniarum Regi nuncupatum. Prodiit Iterum Venetiis apud Simonem Occhi 1756.

In Epistolam Benedicti XIV. adversùs Usuram Commentarius (eidem Pontifici consecratus) *quo illustratur Doctrina Catholica; Nicolai* Broedersen, *& aliorum errores refelluntur:* 4. Romæ ex Typographia Palladis apud Nicolaum, & Marcum Palearinos.

Usura contractus trini, dissertationibus Historico-theologicis demonstrata adversùs mollioris Ethices Casuistas, & Nicolaum Broedersen .... Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adversùs Usuram. In 4. Romæ 1746. ex Typographia Palladis. *Item ibid.* 1748.

Epistola ad Polycarmum Virum Clarissimum, in qua B. Nicolai Justiniani Veneti Monachatus a fabulis, vanisque commentis asseritur. Tridenti 1746. 4.

Memorie storiche sopra l' uso della Cioccolata in tempo di digiuno, esposte in una lettera a Monsig. Illustriss., e Reverendiss. Arcivescovo N. N. In 8. Venezia appresso Simone Occhi 1748.

Theologia Christiana Dogmatico-Moralis, summo Pontifici BENEDICTO *XIV. feliciter regnanti nuncupata, in decem tomos tributa Quibus accedit Apparatus duobus tomis comprehensus:*

sus, quorum alter præter decreta, & constitutiones pontificias fidei, morumque rectam tradentes normam, de locis Theologicis, sive de purioris Ethices christianæ fontibus librum exhibet: Alter vero conscientiæ, & probabilismi argumenta duobus distinctis libris pertractat. 4. Romæ 1749. Prostant venales apud Simonem Occhi. Eo scilicet anno 1749. prodire cœpit Opus. Iterum 1754. & 1758.

De Sacramento Pœnitentiæ, ejusque Ministro Commentarius Dogmatico-Moralis. Romæ 1750. 4. Qui licèt Theologiæ Christianæ pars sit, separatim tamen distrahitur.

De Spectaculis Theatralibus Christiano cuique, tum Laico, tum Clerico vetitis, disputationes duæ. Accedit dissertatio tertia de Presbyteris Personatis. 4. Romæ ex Typographia Apollinæa 1752. apud Hæredes Joannis Laurentii Barbiellini.

Instruzione de' Confessori, e dei Penitenti per amministrare, e frequentar degnamente il SS. Sacramento della Penitenza. 8. Venezia appresso Simone Occhi 1753. & 175.. apud eundem.

De Vita & Rebus gestis P. Thomæ Mariæ Ferrarii *Ord. Præd. S. R. E. Card. tit. S. Clementis, libri tres.* 4. *Romæ* 1755. *apud Hæredes Jo. Laurentii Barbiellini in foro Pasquini.* Sub auspiciis BENEDICTI XIV. qui Theologiæ Laureâ donatus fuerat a laudato Cardinali, dum Sacri Palatii Apostolici Magistri munere Romæ fungebatur.

Della Religione rivelata contra gli Ateisti, Materialisti, Indifferentisti, che negano la verità

vità de' misterj, *Libri cinque*. 4. Vol. 2. in Venezia presso Simone Occhi 1754. *Impulsu BENED. XIV. & sub auspiciis CAROLI EMMANUELIS Invictissimi Sardiniæ Regis; Quem ad Dominicanæ Familiæ bonum, Rex Regum diu sospitem servet*.

De' Teatri moderni contrarj alla professione cristiana Libri due, del P. Daniello Concina, in conferma delle sue dissertazioni. De Spectaculis Theatralibus: Alla Santità di N. S. BENEDETTO XIV. 4. Roma 1745. presso gli Eredi Barbiellini Mercanti di libri.

De sacramentali absolutione impertienda, aut differenda recidivis, & consuetudinariis Disputatio Theologica. *Romæ* 1751. *& iterum gallice*.

Ad. R. P. Carolum Nocetium Epistolæ octo de singularibus argumentis, in ejusdem libro inscripto, Veritas vindicata, *contentis. Accedunt opiniones laxæ quamplurimæ ex variis Casuistis collectæ. Item censura R. P. Eusebii Amort Canonici Lateranensis in Theologiam Moralem R. P. C. L. C. Item Epistola nona ad eundem P. Carolum Nocetium de nonnullis ejusdem antithetis in Epistolam 2. P. M. Dinelli*. 4. Venetiis 1755. apud Simonem Occhi.

Theologiæ Christianæ compendium. 4. Vol. 2. Venetiis apud Simonem Occhi 1761. Item ibid. apud Antonium Zatta 1762.

ANECDOTA.

Quaresimale. Servatur Romæ.

Lettere alli RR.PP. Richelmi, e Gagna &c.

Altre al P. Carpani &c. Venetiis.

Panegirici. *Catechismo*.

OPE-

OPERA APOLOGETICA

Pro eod. Auctore.

Difesa della dottrina dell' Angelico Dottor S. Tommaso sopra l' Articolo Quarto della Q. 154.2.2. 4. Lucca 1746. per Filippo Maria Benedini. Hocce opusculum P. Jo. Vincentio Patuzzi Veronensi tribuit P. Bernardus Maria de Rubeis in Commentario. *De rebus Congregationis sub titulo B. Jacobi Salomonii in Provincia S. Dominici Venetiarum erectæ*, edito Venetiis 1751. typis Jo. Baptistæ Pasquali pag. 490.

Lettere Teologico-Morali di Eusebio Eraniste all' Autore della Raccolta delle molte proposizioni &c. *in difesa della* Storia del Probabilismo *del P. Daniello Concina. Si aggiugne un distinto ragguaglio delle Controversie Letterarie passate tra il detto P. Daniello Concina, e i suoi Avversarj, e de libri stampati dall' una, e dall' altra parte.* 8. Vol. 6. in Trento 1751. Iterum ibid 1752.

Note Anticritiche di Eudosso Filenio sulla risposta del M.R.P. G. S. alle Lettere Teologico-Morali di Eusebio Eraniste. 8. in Trento 1752. & 1753.

Lettere di Adelfo Caritèo, e Filarmindo Arenio, sul libretto pubblicato in risposta alle Lettere Teologico-morali di Eusebio Eraniste. 8. in Trento 1753, & iterum 1754.

Saggi, e Riflessioni sovra i Teatri, e i Giuochi d' azzardo di Gio. Ambrogio Tonischi, con un ragionamento sopra i giuochi d' invito di N. N. 4. Venezia 1755. appresso Simone Occhi.

Osservazioni Critiche, nelle quali si confuta il libro intitolato: Dell' Impiego del danaro. 4. in Lucca 1755.

Supplemento, o sia Osservaz. ai 7. primi Tomi dell' Istor. Lett. d'Italia. 8. Vol. 2. Lucca 1753.

P. Vincentii M. Dinellii Cathedratici Casanatensis O. P. ad Carolum Noccetium Soc. J. Theologum, de Danielis Concinæ in indicandis, describendisque Casuistarum locis, summâ fide, ac diligentiâ, Epistolæ. Romæ, & Venetiis 1754. 4.

Osservaz. sopra varj punti d' Istoria Letteraria, esposte in alcune Lettere da Eusebio Eraniste al M. R. P. Francesco Antonio Zaccaria, con due appendici; altra in risposta alla quinta Lettera del M. R. P. Filiberto Balla; altra di documenti &c. 8. Vol. 2. in Venezia 1756. presso Simone Occhi.

Lettere di Agenore a Filarco suo amico, intorno la quinta Lettera del P. Filiberto Balla, e le Censure di Francesco Antonio Zaccaria, nel tom. VII. della Storia Letteraria. In difesa del P. Concina, ed Eusebio Eraniste. Si aggiugne altra Lettera del P. Fr. Spiridione *da* Fano *intorno alla necessità di correggere le presenti Epatte.* 8. Vol. 2. in Venezia 1746. presso Simone Occhi. Latet sub *Agenoris* nomine eximius Theologus, Pater Vincentius Maria *Migltoli* Cremonensis O. P.; a cujus perdocto calamo plura sperare licet.

Trattato della Regola prossima delle azioni umane, sulla scelta delle Opinioni, in cui si dimostra la falsità, improbabilità, ed assurdità del Sistema Probabilistico, ed il grave pericolo di chi in pratica lo segue. Opera del P.F. Gio. Vincenzo Patuzzi, dell' Ord. de' Pred., Lettore di Sac. Teologia, dedicata all' Emo Principe CARLO VITTORIO AMEDEO delle LANZE &c. Vol. 4. Vol. 2. Venezia 1758. presso Simone Occhi.